



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. De Sclauia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

LIBER SECUNDVS.

De Magno Hungaria Regno, seu Regionibus olim Hungarico Sceptro subditis.

IC appellamus Regionem illam quæ Germaniâ, Poloniâ, Italiâ, & Græciâ restringitur, quia id totum fuisse Hungarici iuris, ex historiâ Hungaricâ intelligimus. De Sclauoniâ maiori liquet, cuius etiam pars nondum ab eo reuulsa est, & Iaderensis Comitatus Venetis est veditus ab Rege Hungariæ. Seruia quoque & Bossena Hungaros agnouere antequam iugum Ottomanicum reciperent. Bulgari sæpe cum Hungaris depugnarunt, & ab iis subiugati sunt. De Transyluaniâ, & Valachiâ, tam certum; vt ne quidem aliqui Poloni dubitent; quamquam in eas prouincias aliquid sibi iuris vindicent.

Nos autem Hungariam Magnam vocamus, quod alij REGIONES ISTRICAS eruditè nuncupant, tractum illum porrectum secundum *longitudinem* ab ostio, aut oppido *Fiume*, Italico limite ad Kiliam veterem in ostio Istri; secundum *latitudinem* verò ab ostio Fl. Drini vel Lodtrini Albanix termino, ad montem Carpathum. Ac proinde *longitudo* hæc complectitur Milliarum Italica 780. Francicas leucas 390. Hungaricas 182. Bulgaricas 195. *Latitudo* verò continet Milliarum 420. nostrates leucas 210. Bulgaricas 105. Hungaricas 98. Nunc de singulis prouinciis, seu Regionibus aliqua notabimus priusquam earum Geographiam proponamus.

CAPVT PRIMVM.

Historica descriptio.§. I. *De Sclauia.*NUMERVS I. *Nomen.*

ALITER *Sclauonia*, à *slauis*, seu *slauinis*, accepit nomen, de quibus in Poloniâ diximus; Germanicè dicitur *Vindischland*,

Pp ij

300 DE MAGNO REGNO HVNGARIÆ,
hoc est regio *Vinidorum*, quia *Vinidi*, seu *Venedæ* cum *Slavis*
iuncti eò penetrarunt. Olim autem complectebatur *Croaciam* &
Dalmatiam, nunc fluminibus *Sauo* & *Drauo* restringitur.

N V M. 2. *Qualitas.*

AER hîc serenissimus; terra miræ fertilitatis, quia fluuiis egre-
giè eluitur: vnde, quod mirum, inter *Turcicos* tumultus frumen-
to, pecore, & armentis diues.

N V M. 3. *Mores.*

ANTIQRORVM *Slauorum* mores ex libro 3. *Procopij* de rebus
Gothicis repetes, ex quo hæc pauca. Omnes ferè subruffo capillo,
neque callidi, neque malitiosi: peregrinos humaniter accipiebant,
in quos omnia sua liberaliter effundebant, ex quâ profusione pen-
debat corum fortitudo apud populares: immo hæc, furta excu-
sabat. Si quis autem domo suâ exclusisset hospitem, domus eius à
quouis poterat inflammari. Degebant in casis vilioribus, quas sæ-
pe mutabant. Cæterùm piratæ crudeles, & vicinis intolerabiles:
ita *Slavi* veteres. Nunc autem proximè ad *Turcas* accedunt: om-
nes bellicosi, & id vnum orant Deum, vt armati moriantur, & in
bello; optant autem inimicis mortem domi, & in lectulo. Rerum
nouarum amantiores sunt, ideò facilè concitant seditiones. Du-
plici vtuntur Alphabeto *Cyrilli*, vulgò *Chiuriliza*, seu *Ruthenico*
vix à *Græco* dissidenti, & *S. Hieronymi*, vulgò *Buchviza*, seu *Dal-*
matico 32. vel 33. literarum.

N V M. 4. *Politia.*

PARTIM est *Austriaci* ob regnum *Hungariæ*, partim *Turci-*
ci iuris; sed quia inter *Germanos* & *Ottomanos* pax infida, con-
uenere *Principes* sub initium huius sæculi vt causæ omnes, & li-
tes de incursionibus à *Præfectis*, *Agrauenfi*, *Arrabonenfi*, & *Bu-*
densi dirimerentur; nec sœdus abruptum censeretur, nisi bellica
tormenta educerentur.